

gvinei juramento affirmans, haud obscure conscientia
 scrupulos de sangvinis esu potuve per caremoniam divi-
 nam verito oriundos se auctore cessaturos demonstrabat.
 Hoc novum in populo DEI & Christianitatis proprium eva-
 sit a sanguine non abhorreere, uti abhorrebant judæi; imo
 novum hoc, quod abstinentia a sanguine demandata suc-
 centuriatur mandato novo sangvinis participatio potulen-
 ta & cibaria. *Aloysius Novarinus* in commendatum Deuter. T. V. Sacr.
Elect. pag.
289.
 XXXII. uvæ sangvinem commentatur, ipso sangvinis nomine
 DEUM voluisse præludere rei, quæ erat futura, quando scilicet vi-
 num in ejus sangvinem vertendum erat, quod in Eucharistico sa-
 crificio divinitus fiat. Prælusio in appellato uvæ sanguine e-
 vero procedit, si dicatur voluisse DEUM metas figere absti-
 nentia a sanguine, & præfigurando vinum Eucharisticum
 occupare exceptiones judæorum de sanguine nunquam
 sumendo. Rei enim falsæ DEUS non prolusit, qualis est
 transubstantiatio Pontificiorum. Possent adduci apponi-
 que argumenta alia, si numero simul cum pondere velle-
 mus de certare. Sed cordato viro sufficit ad veri demon-
 strationem, si aliqua parte levetur veli involucrum, inde
 enim prospectus ulterior citra adjumentum facile capitur;
 nec multiplicatio semper arguit ubertatem, ut est apud *Augu-
 stinum*, sed in racemo rariusculo uberius est acinus. Est
 sapor & in paucis secundum *Tertulliani* effatum de *Epist. ad
 Thessal. I.*

CAP. IV.

SUMMARI A.

*Oppositionum tres classes, I. Testimoniorum Sanctorum. In-
 terdictum Noæ datum. Mosi cur tam severe repeti-
 tum? Apostolorum consilium super illa re.*

Quanta sint, quæ opponuntur, nunc dispicienda assu-
 memus. Tres classes possumus constituere. *Primam
 testimoniorum e Sanctis scripturis depromptorum; secundam pla-
 citorum*